



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

23. An dirupto Templo, Indulgentia ipsi concessa pereat? Et quid, si Superioris autoritate Ecclesia destruat, in pœnam deliquentium? Ex p. 5. t. 12. resolut. 20.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

Negativam sententiam tenet Pater Lugo de Sacramento. Pœnitent. disputat. 17. sect. 8. n. 131. ubi sic ait. Circa indulgentiam localem quæri solet, an diruta Ecclesia, cui concessa erat, maneat indulgentia in illa Ecclesia, si in eodem situ reedificatur? Aliqui Canonizæ dicunt, si auctoritatem Superioris Ecclesie Canonizæ ad alium locum transferatur, deferre secum suas indulgentias. Pater Suarez disp. 52. sect. 1. n. 9. Probabile est, quando in eodem situ statim alia ædificatur: tunc tamen valde dubia esset talis indulgentia, quia remota illa est alia Ecclesia non solum physice, sed moraliter, & ideo indiget nova consecratione. Aliter dicendum esset, si non tota simul, sed per partes dirueretur: tunc enim nunquam prior Ecclesia desit esse, sed semper moraliter eadem perseveravit. Ita Lugo.

Verum affirmativam sententiam docet Ghilinus in res. cas. confitent. verb. Indulgentia. n. 2. & Bonacina in res. cas. confitent. verb. Indulgentia. n. 5. ubi ita asserit. Si indulgentia concessa sit ipsi templo, sicut ordinariè præsumendum est ipsi templo concessam fuisse, cum ordinariè præscribitur aliquo intra talem locum, vel templum fieri, censet indulgentiam transferri loco, in eoque perseverare: nam censetur adhuc eadem Ecclesia, & idem templum, quod comparari potest personæ, quæ locum desertit privilegium personale.

RESOL. XXIII.

An dirupto Templo Indulgentia ipsi concessa pereat? Et quid, si Superioris auctoritate Ecclesia destruat in partem delinquentium? Ex p. 5. tr. 12. Ref. 20.

Ad hunc casum libet respondere cum verbis Pauli Layman, in Theolog. moral. l. 5. tr. 7. c. 3. ubi sic ait. Si Ecclesia diruta iterum non reedificetur, locus privatur Indulgentia, cum non loco simulatur, sed Ecclesiæ fuerit concessa; sin verò ædificetur iterum Ecclesia in eodem loco, retinet Indulgentiam, sicuti & alia privilegia, quippe cum moraliter eadem Ecclesia censetur, sicuti docet idem Suarez n. 8. Limitat tamen Innocent. in cap. 2. de novi operis nuntiatio. gloss. in reg. 7. in 6. Nisi Superioris auctoritate destruat in partem delinquentium, tunc enim omnibus privilegiis spoliari censetur, ut iterum ei expresse, seu tacite conferenda sint, de novo ædificetur. Id verò non est impossibile, atque in praxi servari solet, quod Innocent. ibid. docet, & Ludovicus Bononius in tr. de Indulgentiis n. 75. si Ecclesia auctoritate Superioris tali pacto destrui cœtur, ut sub eodem titulo ac Patrono in alium locum transferatur, etiam Indulgentias & alia privilegia eius transferri, quod etiam docuit glossa in reg. in 6. D. Antonin. part. 1. tit. 19. cap. 1. §. 2. Suarez lib. 8. de legib. cap. 5. in fine, qui bene id explicat, transferri privilegia vna cum Ecclesia, si concessa non ratione situs, aut loci, sed absolute Ecclesiæ, & proprio nomine ac titulo suo. Vide etiam Villalobum Fabrum de pœnit. in 4. sentent. dist. 19. q. 7. n. 184.

RESOL. XXIV.

An Indulgentia alicui Templo, vel Sacello concessa amittatur, destructo Templo, si non reedificetur? Et quid, si per partes destruat, & per partes reedificetur? Et quid, si Ecclesia auctoritate Prælati destruat ea lege, ut alio in loco reedificetur, servando eundem titulum, & Patronum, an secum ferat suas Indulgentias, & Privilegia?

Et an locus, ubi destructum fuit Templum, gaudet immunitate? Ex p. 11. tr. 8. & Misc. 8. Ref. 9.

Ad hunc casum sic respondet Gobat de indulgentiis, nam indulgentia non erat data loco simpliciter, sed Ecclesiæ; Layman c. 3. num. 5. Si autem per partes, seu paulatim destruat, & paulatim reedificetur, si tamen manet eadem moraliter Ecclesia, ita & eadem indulgentia; Lugo n. 131. Imò et si tota simul destruat, & alia mox extruat in eodem loco, censet Suarez d. 52. sect. 1. n. 9. probabiliter remanere priorem indulgentiam; sed Lugo de hoc dubitat. Quin Layman testatur in praxi observari, ut quando Ecclesia auctoritate Prælati destruitur, ea lege, ut alio loco reedificetur, servando eundem titulum, & Patronum, secum ferat suas indulgentias. Ita Gobat; cui adde Dicastillum de Sac. tom. 2. tr. 9. disp. 2. dub. 7. num. 118. cum seq. qui etiam observat probabilem esse, & in praxi servari si Ecclesiæ superioris auctoritate tali pacto destruat, ut sub eodem titulo, aut Patrono in alium locum transferatur, etiam indulgentias, & alia privilegia transferri, Suarius l. illo 8. de legib. c. 5. in fine. Qui rectè explicat transferri privilegia vna cum Ecclesia, si concessa fuerint non ratione situs, aut loci, sed absolute ipsi Ecclesiæ proprio nomine, & titulo suo. Ita etiam S. Antoninus 1. p. tit. 19. cap. 1. §. 2. & Gloss. in reg. in 6. Layman. supr. Franciscus Hottomantis l. illustrium questionum quest. 8. Bonacin. supr. qui addit inde colligi, quod, cum consecratio destructo templo, adhuc adhæreat solo; locus consecratus, vel benedictus semper retinet sua privilegia, quæ ex loci consecratione, vel benedictione sequuntur, quale privilegium est locum non esse venalem, non posse converti ad profanos vsus, & gaudere immunitate, si immunitas primario concessa sit aræ, & non ratione ædificij; privilegium autem concessum solo non putat transferri, sed manere solo affixum, quando templum auctoritate superioris aliò transfertur.

Quòd si privilegium, seu indulgentia ipsi templo concessa sit, ut dicebam, sicut ordinariè præsumendum est, concessam, quia ordinariè præscribitur aliquid intra talem locum, vel templum fieri; tunc putat indulgentiam transferri; censetur enim eadem Ecclesia, & idem templum, & est, quasi privilegium concessum personæ, quæ secum desertit privilegium personale. Quæ doctrina aliquibus videtur probabilis. De consecratione verò adhuc mihi minus placet, quæ si templum destruat, non potest in alium locum transferri, etiam si iidem lapides, ligna, &c. aliò transferantur; imò etiam si iterum in eodem loco reedificetur, nisi paulatim fuerit destructa, & reedificata; nam tota simul destructa, & iterum reedificata priorem consecrationem amittit. Hæc omnia Dicastillus, qui citat Suares, Pinellum, Graffium, & Bonacinam.

Sup. contēdo in hæc Ref. depra diffici. nor. seq. in dibus præcedentibus Ref. & sup. in tr. 7. Ref. 23. Sed ne prætermittas hic inf. lege. re doctri. nam Ref. seq. & alterius Ref. eius auctor.

Sup. hoc privileg. Immunitatis in Ref. præterita à lin. 10. & ver. Nisi Superioris, & melius in tom. 9. tr. 1. Ref. 6. §. verum, paulo post initium

RESOL. XXV.

An destructa Medallia, Rosario, Imagine, pereat Indulgentia? Et quid, si non sit penitus destructa? Et quanta debet esse ruptura, aut fractio, ut censetur perisse Indulgentia? Et notatur in applicatione Indulgentiarum, opus esse, ut quis coram se habeat Medallias, Rosaria, & Imagines, & semel Medallijs Indulgentia applicata, postea non potest amplius tolli, & alijs similibus applicari. Et docetur, quod facultas concedendi Indulgentias nunquam delegatur laicis, & faminis; sed tamen hi possunt determinare grana, aut Imagines.

Et

MA
nia
L. IV. V
III